



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

III. Diuisio termini in directum, & reflexum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

solamque carentiam entis denotat: poterit ergo esse terminus infinitus, quamvis talis esse non possit hoc adiectivum, *ininfinitum*: malè ergo ab vno ad aliud arguitur in præfenti. Rursus secundo transeat, maiorem argumenti esse veram, & idcirco terminum illum, *ininfinitum*, haud esse infinitum, quia non vagatur per entia, & non entia cuncta: certè quod assumitur in minori non est prorsus verum: liquidem non ens, non bonum, &c. per ea quæ sunt, & non sunt, posse quodam sensu vagari superius est expositum.

CAPVT III.

Diuisio termini indirectum, & reflexum.

25

Terminus directus mentalis est cognitio, quæ quodvis aliud, nisi eiusdem potentia cognitionem significat: vocalis est vox eiusdemodi cognitionem repræsentans: terminus reflexus mentalis est cognitio, qua intellectus aliquam cognitionem attingit: vocalis est vox talis actus significatiua: ita fermè sumitur ex Petro Hispano l. i. sum. c. 3. Porro eos terminos ita nominari aduerte, per analogiam, ac proportionem cum rebus physicis: quemadmodum enim radius ille dici solet rectus, siue directus à Philosophis, qui sine vllò obstaculo à luminoso rectè emicat, ac sese diffundit; reflexus verò, qui in corpus opacum, ac luci imperium incidit, eodemque tramite in seipsum celeri reciprocatione conuertitur: aut sicuti pila à ludente aliquorū proiecta, eius impetus motusue est directus, ea verò in proicientem reuoluta alicuius obicis vi, non directus, sed reflexus: ita prout intellectus, aut in alia obiecta intentionaliter fertur, aut in suosmet reuertitur actus, terminis directis, vel reflexis uti censetur.

26

Quæres autem primò, an quando intellectus seipsum cognoscit, ea cognitio dicenda sit reflexa? Respondeo cum P. Hurt. disp. i. sum. sect. 5 §. 25. neutiquam: non quia non posset, nam etiam quoties causa aliqua motu lationis, aut irradiationis, aut calefactionis, aliove in seipsam redit, & alicuius occasione obstaculis, quod in aliud esset actura à se patitur, reflexè operari eo ipso dicitur, sed quod ita libitum non est antiquis, quibus in vsu & significato vocum potissimè standum est, & quos penes arbitriū est, & ius, & norma loquendi. Cæterum latè, & improprie concedi potest, eam cognitionem esse reflexam: dici etenim solet, & intellectum & voluntatem etiam in se reflectere, quando se hæc amat, ille cognoscit: qua ratione per amoris in amantem ipsum reflexionem, de qua maior posset esse dubietas, explicuit tamen Plato in Phædone reflexionem echus, quia à concauis solidisque corporibus resonat, ac certatim verba repulsat. Quæres etiam secundo, an cognitio vnus intellectus terminata ad cognitionem alterius sit ob id dicenda reflexa? Negat mag. Sotus lib. i. Sum. cap. 3. notatione 3. & bene: haud enim ea loquutio est in vsu; haud etiam apta, propterea quod vitalis cognitionis nulla fiat intellectus ad se reuersio, sed potius in functiones alterius rectè pergit.

27

Quæres tertio: an quando cognitio aliqua semetipsam cognoscit, aut distinctè & clarè, aut obscurè, & in confuso cum aliis obiectis, appellanda sit eo ipso reflexa? Sotus loco nuper citato negat, in hæc verba: *ille ergo solus conceptus est reflexus, qui obiectivè suapte natura dependet à præfentia alterius conceptus; ut sit quodam modo conceptus intuitum alie-*

rim. Item Hurt. vbi suprà his verbis: *hæc vox* (scilicet notitia reflexa) *tantum imponitur ad significandam cognitionem de alia cognitione eiusdem potentia.* Oppositum tamen verius est: primò, quia intellectus diuinus reflectit in suos actus: at eos per seipsos, & non per alios realiter distinctos cognoscit, quæ est eius infinitas, simplicitas, & perfectio: similiter ergo nostra cognitio, si quando seipsam attingit, erit eo ipso reflexa: quod autem intellectui diuino non sit neganda reflexio, est in aperto: quoniam ea communiter censetur ingens quadam intellectus ut sic perfectio, & iuxta non paucos ei soli concessarum etiam quia is loquendi modus de Deo, & P. Hurtado disp. 10. de anima lect. 4. §. 41. & Soto, ac cæteris scholasticis est valde familiaris. Secundò suaderet idipsum: quoniam non magis est requisita distinctio ad reflexionem intentionalem, quàm ad motum intentionalem, ut sponte sua patet, & physicis exemplis facillè potest ostendi: at cognitio nostra intentionaliter fertur ac mouetur ad se, quoties se repræsentat, atque cognoscit, ut etiam aduersariis est in confesso: quidni ergo tum sit intentionaliter reflexa?

CAPVT IV.

Diuisio termini in æquiuocum, & vniuocum.

28

Æquiuoca, à quibus auspiciatur Aristoteles, sunt quorum nomen est commune, ratio verò substantia: nomini accommodata omnino diuersa, ut canis, qui de sydereo, æquoreo, & latrabili æquiuocè dicitur, propterea quod singulorum rationes specificas, ac diuersas immediatè significet, atque vnà comprehendat. Æquiuoca, alia sunt æquiuocantia, cuiusmodi sunt nomina; alia æquiuocata, quales sunt res, quæ nominibus subsumunt. Rursus æquiuoca alia sunt participantia, qualia sunt ea quæ in ratione æquiuoca, & diuersa conueniunt, alia participata, cuiusmodi est ratio illa diuersa, & æquiuoca quæ à pluribus cum disunctione participatur, veluti obiectum huius actus, canis maritimus, cælestis, ac latrabilis: æquiuoca item alia sunt à casu seu fortuito, cum videlicet vnum æquiuocatum independenter ab alio vocem æquiuocam participat, ut cernere est in superius adducta voce, *canis*, quæ ita sydereum significat, ac si ad significandum terrestrem neutiquam esset imposita: alia sunt à consilio, cum scilicet vnum æquiuocatum dependenter ab alio vocem æquiuocam participat, ut videre est in hac voce Philippus, qua secundus, tertius & quartus Hispaniarum Reges appellantur, quartus tamen dependenter à primo, secundo & tertio, atque in eorum memoriam.

29

Pro definitionis positæ luce, & intelligentia opponens primo: omnis definitio debet esse vera cum constet genere & differentia, ex quibus totum quoddam metaphysicè, vnum resultat. æquiuocorum autem definitio vna esse nequit: nulla ergo esse potest, adeoque recienda est superius posita; quod eorum definitio vna esse nequeat, videtur perspicuè æquiuoca namque sunt, quorum ratio est omnino diuersa, non ergo vnum, se plura sunt, ac per consequens, nec vna poterunt definitione definiri. Huc accedit, Aristotelem 6. top. cap. 2. docere æquiuoca prius esse diuidenda, quam definienda quasi diuisionis, non definitionis capacia esse adasserat.

Oppones